



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum VIII. Quod super.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Quod super.

PARAPHRASIS.

Consultus Pontifex de ijs, qui signo Crucis in subsidium Terræ sanctæ assumpto Votum suum ob justum impedimentum implere non possunt, respondit 1. Quod debiles & pauperes illic magis obsint, quàm profint. 2. Quod illis, quorum impedimentum non est perpetuum, dilatio sit concedenda; redemptio verò injungenda ijs, qui perpetuò sunt impediti. 3. Quod circa illos, qui Votum pro defensione Terræ sanctæ fecerunt, magis attendi debet succursus Terræ sanctæ; circa illos verò, quibus peregrinatio illa pro poenitentia injungitur, potius labor itineris. Unde si is, qui vovit, inutilis est ad pugnandum, quamvis sit habilis ad eundem, melius est, ut Votum redimat. 4. De mulieribus statuit, ut quæ remanere nolunt, sequantur viros; cæteræ Votum redimant, nisi sint divites, quæ suis expensis secum possint ducere bellatores.

SUMMARIUM.

1. *Temporalis dilatio Voti ob difficultatem executionis permittitur; perpetua verò, commutationem, aut dispensationem admittit, si non omninò liberet.*
2. *Uxor, maritum peregrinantem si sequi velit, recusari non potest, modò sumptus suppetant pro utroque, & diuturna sit futura absentia.*
3. *Faciliùs dispensatur cum mulieribus longam peregrinationem voventibus.*

Notandum primum. Si difficultas occurrat Voti exequendi, eaque temporalis sit dilatio, permittitur *c. non est s. hoc rit.* Sin autem perpetua sit, redemptio, seu

scandalum accipiens, quasi Votum temerè violetur, commutatio, aut dispensatio intermitteri debet, dummodo causa dispensandi, aut commutandi explicetur, tunc enim scandalum ex malitia proficiscitur, & pharisaicum dicitur, quod curari non debet, juxta illud *Mat. 15. v. 12. scis, quia Pharisai hoc verbo audito, scandalizati sunt.* Respondet Christus *v. 14. sinite illos, cæci sunt, & duces caecorum,* de hoc dixi *l. 2. t. 3. c. ult. n. 8.*

4. Notandum quintum. Votum mixtum ex personali, & reali (cujusmodi est peregrinationis, quæ tum laborem, tum molestiam corporis, atque devotionem, tum sumptus, & eleemosynam in se continet) convenienter commutatur in alia pietatis opera, partim personalia, videlicet orationem, jejunia, sacram confessionem, & communionem; partim realia, videlicet eleemosynas, largitiones ad Ecclesias &c. in id enim consentaneum est commutari, ut fiat in aliquid simile aut æquivalens, quatenus moraliter fieri potest, prout plenè explicavimus *t. 4. c. 8. n. 25.*

5. Notandum sextum. Cessante causâ Voti extrinseca, & impulsiva tantum, licet ea præcipuè impulerit, ita ut absque ea aliquis non vovisset, non idè cessat Votum, quando ejus propriè finalis causa, quæ est cultus Dei, sive divini honoris augmentum consistit, quamvis interdum ob id faciliùs dispensari possit. Ita sumitur *ex hoc c.* quando Trecentis Episcopus Jerosolymitanam peregrinationem vovit, eâ excitus ratione potissimum, ut Comitem Campaniæ invisere, & auxilium Ecclesiæ ab ipso rogare posset; postea eo mortuo Votum non cenebatur extinctum, sed ob hanc causâ impulsivæ cessationem præcipuè Pontifex motus est ad commutandum. Explicavi hanc rem *cit. 6. n. 2.*



commutatio aut dispensatio facienda est: itaque impedimentum in hoc c. non debet intelligi impossibilitas, quia hæc si perpetua sit, omnino liberat à Voto, sicut à qualibet promissione, cum ad impossibile nemo obligari possit, uti ex communi docui t. 4. c. 2. n. 1. quamvis aliter docuerit *Navarrus in man. c. 12. ss.* specialiter in casu Voti Hierosolymitani decretum fuisse, ut superveniente quocunque impedimento proficiscendi realibus subsidijs subvenire necesse sit: id tamen peculiariter decretum fuisse videtur, ut si Votum istud mixtum peregrinationis Hierosolymitanæ ob aliquam justam causam commutandum esse videatur, tunc non aliter, quàm subministratis sumptibus, sive realibus subsidijs, redimi debeat, ut ex hoc & sequente c. apparet, & hoc propter necessitatem, terram sanctam defendendi, contra fidei hostes. Id quoque in tali Voto mixto attendi debet, num id, quod est reale, promissum fuerit cum dependentia ab opere personali, non secundum se, & intentione principali: v. g. vir nobilis Votum ediderat contra fidei hostes si profecturum, tribus militibus comitatus, considerari debet, an promiserit tres milites principali intentione propter suum comitatum, adeoque cum dependentia à sua professione, consequenter si proficisci omnino impeditus sit, liberatur Voto; secus autem est, si principalis intentio fuit, milites adducere in subsidium belli, ita, ut duo, sensu diviso, promittere voluerit, quod ipsemet ire velit, & 3. alios in subsidium ferre. Ita intelligit *Suarez l. 4. de Voto c. 11. n. 18.* convenienter ad ea quæ docui c. 12.

2. Notandum secundum Si uxor virum peregrinantem sequi velit, non potest ea reculari, quando absentia mariti diuturna futura est, & suppetunt sumptus ad eam ducendam, aliæque incommoda gravia inde non oriuntur. Ita sumitur ex hoc c. & c. sequente §. quod autem c. 1. de conjug. lepros. ubi dicitur, quod non debeat unus conjux sine altero diutius esse. Ex quo se-

quitur, quod vir uxorem cogere possit sequendum, si ex causa necessaria peregrinatus sit, & alibi propter negotia habiturus, prout docui *lib. 5. r. 10. p. 3. c. 1. n. 3.* & videri potest *Sanchez l. 9. de ma. c. 12.* Sin autem vir nullo in loco diu commoraturus, sed semper iter facturus sit, porrumque difficile est uxorem comitari, & maritum militem, nisi quando ipse nescivit esse militem, adeoque se obligavit citè ad sequendum.

Notandum tertium. Cum mulieribus longam peregrinationem voventibus facile dispensatur, quod plerumque utrius, & decentius sit domi eas manere, & illi bona opera præstare, præterquam si ex professione propter earum potentiam v. g. in divina augmentum, aliudve spirituale commodum secuturum videatur.

CAPITULUM IX.

Ex Multa.

PARAPHRASIS.

Votum peregrinationis Hierosolymitanæ veluti Apostolicæ reservatur, ita ut nemo alius absque speciali commissione in eo dispensare possit. Quæ potest hoc c. dicitur de Voto professionis Hierosolymitanæ, cum ferme in usu non sit, prætermitto: videri possunt, quæ docui t. 4. c. 8. n. 7. & 20. & c. 7. n. 12.

CAPITULUM X.

Per tuas.

PARAPHRASIS.

Quidam Clericus sive Canonicus voti in Gratianopolitana Ecclesia habitum regularem suscepturum, & postea in monasterio Prælati, sive Præpositi eiusdem Ecclesiæ, promisit, se intra 2. annos postquam Romam redierit, Votum suscipiturum; cum autem triennio jam exisset, Votum non implevisset, & transgressus factus esset, vocatus est ad regimini